

[132]

DISTINCTIO VIII

Facilis ac brevis divisio huius distinctionis, in qua de divina agitur natura, quae realiter nil aliud est, quam potentia generandi; itaque Magister quasdam eius proprietates investigat ac patefacit.

NUNC DE VERITATE etc. Postquam magister determinavit de potentia generandi, quae est ipsa divina natura, hic manifestat quasdam proprietates convenientes illi naturae; et dividitur in tres: quia primo tractat de divinae naturae entitate et veritate, secundo de eius incommutabilitate, et tertio de eius simplicitate. Secunda ibi, Dei etiam solius essentia. Tertia ibi, eademque sola. Prima in tres: quia primo ostendit, quomodo hoc nomen essentia proprie convenit ipsi Deo; secundo ostendit, quomodo ex dicto Beati Hieronymi oritur quoddam dubium in proposito; et tertio respondet huiusmodi dubio. Secunda ibi, hic diligenter etc. Tertia ibi, illud ergo quod etc. Tunc sequitur illa pars. Eademque etc. In qua magister tangit de divinae essentiae simplicitate, et dividitur in duas partes; quia primo declarat divinae essentiae simplicitatem per comparisonem ad extra, secundo per comparisonem ad intra. Secunda ibi, hic diligenter. Prima in duas; quia primo declarat huiusmodi simplicitatem per comparisonem ad creaturas corporales, secundo ad incorporales. Secunda ibi, creatura quoque spiritualis. Quia in ista 8. distinctione magister tractat de divina simplicitate, ideo quaero.

[137]

Quaestio I

An in Deo sit aliqua compositio?

Satis dilucide aperitur, nullam penitus in Deo realem compositionem reperiri, neque ex materia et forma, cum sit purissimus actus, neque ex genere et differentia, cum sit infinitus, nec ullo claudatur genere; neque ex subiecto et accidente; cum sit simplicissimus: unde colligitur, quod nulla erit in Deo compositio modalis, ex diversis scilicet modis absolutis, quibus diversum aliquid inde correspondeat, quandoquidem id divinae derogaret simplicitati.

UTRUM in Deo sit aliqua compositio? Et videtur quod sic; quia in quocunque sunt plures formae actu, in illo est compositio; sed in Deo sunt plures formae actu; quia sicut ait Commentator 12. Metaphysicae Omnes formae actu sunt in primo motore, quae in potentia sunt in materia prima. CONTRA, IN QUO nulla potest esse passiva potentia, in illo nulla potest esse compositio, quia quaecunque faciunt compositionem, vel unum est in potentia ad alterum, vel ambo sunt in potentia ad tertium; sed in Deo nulla est potentia passiva, ut patet 12. Metaphysicae ergo etc. Hic primo videndum est, utrum in Deo sit compositio substantialis. Secundo, utrum compositio accidentalis. Tertio, utrum compositio modalis. Quarto, contra tres conclusiones ex istis elicitas adducam aliqua, et respondebo ad ea.

QUANTUM AD PRIMUM principale, utrum in Deo sit compositio substantialis: est sciendum, quod compositio substantialis dupliciter sumi potest, scilicet secundum rem, et secundum rationem; prima est ex forma et materia, seu ex actu substantiali et pura potentia; secunda ex genere et substantiali differentia, sed neutra illarum potest esse in Deo, ergo nulla compositio substantialis poterit esse in Deo. Prima igitur conclusio videlicet, quod non sit realis compositio substantialis in Deo, satis manifesta est apud omnes philosophantes, quia quasi omnes posuerunt Deum esse purissimum actum, cui nihil admiscetur de potentia, ut patet 12.

Metaphysicae propter quod ait philosophus 12. Metaphysicae. Accidit itaque omnia participare malum id est potentialitatem, praeter unum scilicet praeter Deum. Quamvis enim quaelibet intelligentia habeat suum hyliachin, ut ait auctor *De causis*; Deus tamen de hoc penitus est immunis; Planum est igitur, quod in Deo non est materia, cum in ipso nulla sit potentia passiva, nec per consequens erit in ipso compositio ex materia et forma. Ergo hanc partem tanquam per se nota supponendo, probo secundam partem praemissae distinctionis sic. Illud non est compositum ex genere, differentia, quod nullo genere clauditur, et est super omnes genus; sed Deus est huiusmodi, igitur etc. Maior patet a destructione consequentis; quia si aliquid est compositum ex genere et differentia, consequens est quod ipsum sit in genere. Minorem possum probare multipliciter; Primo sic, illud quod est causa omnis entitatis et veritatis reperibilis in quocunque genere, non poterit claudi in aliquo genere, Deus huiusmodi; Maior patet, quia in quocunque genere poneretur, non posset esse causa omnis entitatis reperibilis in illo genere, alias enim ipsum esset causa sui ipsius; Minorem ponit Commentator 2. Metaphysicae dicens: Est enim quoddam ens per se ens, et per se verum; entitate et veritate cuius omnia alia sunt entia et vera. 2. Praeterea, id, quod comprehendit in se essentialiter perfectiones omnium generum, in nullo genere clauditur, Deus est huiusmodi. Maior patet; quia in quocunque uno genere clauderetur, ceterorum generum perfectiones essentialiter non haberet. Minor patet 5. Metaphysicae ubi dicitur quod est quoddam ens perfectum universali perfectione, in quo congregantur perfectiones omnium generum et illud ens dicit Commentator ibidem, esse ipsum Deum. 3. Praeterea, ens simpliciter illimitatum non potest esse in genere; quia omne, quod clauditur in aliquo genere, limitatur limitibus illius generis; sed Deus est simpliciter illimitatus, cum sit totaliter independens, ut patet 8. Physicorum et 12. Metaphysicae 4. Praeterea, si Deus esset in genere, tunc aliquid posset perfectius Deo cogitari, consequens est falsum; consequentiam probo. Si enim esset in genere, ipse esset condistinctus ceteris speciebus eiusdem generis, et per consequens perfectiones illarum specierum Deus non comprehenderet; sed intellectus conciperet et cogitaret entitatem illius generis, quae omnes perfectiones suarum specierum comprehenderet, ergo etc. falsitas consequentis patet per Anselmum qui ait, quod Deus est quo maius cogitari non potest. Et planum est, quod non loquitur de magnitudine molis; sed perfectionis et virtutis. 5. Praeterea, hoc confirmatur: quia Deus est infinitae virtutis, ut patet 8. Physicorum sed infinito non potest esse maius, ut patet 1. et 3. Physicorum 6. Praeterea, quod est formaliter infinitum, non potest contrahi ad esse finitum, vel ad rationem finitam; sed Deus est formaliter infinitus, ratio vero cuiuslibet generis formaliter est finite, ergo etc. 7. Praeterea, illud, quod cum nulla alia re habet convenientiam essentialem, non potest esse in genere, Deus est huiusmodi. Maior patet; quia ut ait Boethius in Commento Super Porphyrium, Genus est cognitio collecta ex specierum substantiali similitudine. Si enim genus non diceret aliquam essentialem, seu substantialem convenientiam eorum, quorum est genus, tunc non posset praedicari de ipsis in eo quod quid. Minor similiter patet; quia illa, quae non habent eundem modum essendi, non habent aliquam essentialem convenientiam, sicut apparet de substantia et de accidente; sed modus essendi Dei plus differt a modo essendi cuiusunque creaturae, quam modus substantiae a modo accidentis, cum modus essendi Dei sit infinitus, modus vero essendi creaturae finitus. Et illud intendit Dionysius I. De divinis nominibus dicens, quod Deus secundum nihil existentium est existens, et tamen causa quidem essendi est omnibus. 8. Praeterea, quae sunt in eodem genere conveniunt in una forma et natura secundum Commen. 3. Metaphysicae sed Deus cum creaturis non convenit in aliqua una natura, nec participat cum creaturis aliquam unam formam, vel naturam. SED CONTRA praedicta potest instare, et primo contra primam partem illius conclusionis. Quia proprius effectus aliquid sui praesupponit in sua causa, sed materia prima est proprius effectus Dei, in hoc enim ipse solus transcendit omnem creaturam, quod ipse Deus solus potuit causare materiam; sed in quocunque est aliquid de materia, illud est compositum ex materia et forma, cum materia se ipsa esse non possit sine omni forma. CONTRA SECUNDAM conclusionem sic. In quocunque potest vere concipi

aliquod commune indistinctum et aliquod distinctivum, in illo potest concipi ratio generis et differentiae, et per consequens ipsum erit compositum ex genere et differentia; sed in Deo possumus considerare essentiam divinam ut communem et indistinctam contrahibilem a personali proprietate, et ipsam proprietatem ut proprium principium distinctivum, ergo etc. CONTRA minorem, qua assumitur, quod Deus non sit in genere, potest argui multipliciter. Primo sic. Unumquodque mensuratur primo, et minimo sui generis, ut dicitur 10. Metaphysicae sed ut ait Commentator ibidem, Deus est illud, quo omnes substantiae mesurantur, ergo Deus est in genere substantiae. 2. Praeterea, cuicunque proprie convenit ratio alicuius generis, hoc est in illo genere; sed Deo proprie convenit ratio substantiae, quae est per se esse, et alteri non inherere. 3. Praeterea, quicquid differt ab aliquo differentia substantiali, illud est in genere, Deus differt a creatura differentia substantiali. Maior patet; quia omnis differentia substantialis est divisiva alicuius generis; probo minorem, quia omne, quod differt ab altero, aliqua differentia differt; omnis autem differentia, aut est accidentalis aut substantialis, Deus autem non potest a creatura differre differentia accidentali, cum in Deo nullum sit accidens, ut ait Boethius in libro De Trinitate Ergo differt differentia substantiali a quocunque differt. 4. Praeterea, [138] aut Deus convenit cum creatura genere, aut differt ab ea genere. Si primo modo, tunc habetur propositum; si secundo modo, tunc erit in genere, quamvis in alio genere, quia omnis diversitas praesupponit multitudinem; igitur diversitas in genere praesupponit diversa genera. 5. Praeterea, compositio secundum rationem sufficit ad hoc, quod aliquid sit in genere; quia albedo est in genere, et tamen in sua essentia nullam habet realem compositionem; sed in Deo est compositio secundum rationem, cum in eo multa sint differentia secundum rationem, sicut patuit de attributis. 6. Praeterea, omne, quod habet conceptum determinatum et quidditativum sub aliquo communi sibi et aliis, est in genere; sed Deus dicit conceptum quidditative distinctum ab omnibus aliis contentis sub hoc praedicamento communi, quod est substantia, ergo etc. 7. Praeterea, Commentator dicit, quod primus motor, qui est minimum mensurans omnia, quae sunt in praedicamento substantiae, est eiusdem naturae cum eis, quorum est mensura, ergo etc. 8. Praeterea, Boethius in libro De Trinitate dicit, duo praedicamenta manere in divinis, substantiam scilicet et relationem. 9. Praeterea, Damascenus in De duabus naturis in Christo ait, quod substantia, quae continet increatam deitatem et omnem creaturam, genus est generalissimum. 10. Praeterea, quorum est unus conceptus univocus, illa sunt in eodem genere; sed Dei et cuiuscunque creatae substantiae est unus conceptus univocus. Maior patet, probo minorem; quia plus distat albedo, et Deus, quam lapis, et Deus; cum ergo albedinis, et Dei possit esse unus conceptus analogus, puta conceptus entis, lapidis, et Dei erit unus conceptus univocus, ergo etc. 11. Praeterea, de quibus est una scientia, illa sunt unius rationis, et per consequens, unius generis; sed Dei et creaturae est una scientia, puta metaphysica, quae speculatur ens inquantum ens, ut patet 4. Metaphysicae ergo Deus est in genere. SED ILLA non concludunt et sunt expresse contra intentionem Augustini in De cognitione verae vitae, ubi per multa verba Augustinus probat, Deum non esse in aliquo decem praedicamentorum et ibi concludit sic dicens. Decem igitur praedicamentis cuncta humana conditio includitur, et ab his omnibus proprietas summae essentiae evidenti ratione excluditur. AD ILLUD igitur, quod arguitur contra primam conclusionem dicendum quod non oportet, quod materia sit materialiter in Deo causante; sed quod eius entitas virtualiter sit in Deo. Quomodo autem pura potentia virtualiter comprehendatur in puro actu, et utrum habeat ideam in puro actu, inferius patebit cum tractavero de ydeis. AD ILLUD CONTRA secundam conclusionem dicendum, quod maior non est vera, nisi illud commune indistinctum aliquid potentialitatis includat, et sit determinatae ac limitatae perfectionis, et sic minor est falsa; quia essentia divina est purus actus, et infinitae perfectionis. AD PRIMUM argumentum contra illam minorem dicendum quod philosophus et Commentator accipiunt ibi genus large pro substantia analogica praedicante de substantia finita et infinita, sicut enim quandoque restringunt nomen generis infra genus praedicamentale, sicut

cum in eodem 10. dicitur, corruptibile et incorruptibile diferuntur plusquam genere, sic etiam quandoque extendunt nomen generis ultra genus praedicamentale.

DOCTOR VERO communis propter illud argumentum in quaestionibus de potentia Dei dicit quod Deus est in genere substantiae per reductionem, sicut punctus et unitas sunt in genere quantitatis. ISTUD TAMEN mihi non videtur salva sua reverentia; quia sive aliquid per se, sive per reductionem sit in aliquo genere determinatio, impossibile est ipsum comprehendere essentialiter perfectionem cuiuslibet generis; quia, quamvis per accidens sit in genere, clauditur tamen sic infra limites illius generis quod perfectiones aliorum generum sibi essentialiter non poterunt convenire; sed perfectiones omnium aliorum generum essentialiter ipsi Deo conveniunt, ergo ipse nec directe, nec per reductionem debet in aliquo genere collocari. Nec est necessitas aliqua, quae nos cogat ad concedendum mensuram semper esse eiusdem generis cum mensurato, loquendo de genere praedicamentali. Scibile enim mensurat scientiam et tamen nec directe, et per se, nec per reductionem est in praedicamento qualitatis, in quo est ipsa scientia nisi per accidens hoc contingat, puta inquantum de aliqua qualitate esset scientia. Ad secundum dicendum, quod de ratione substantiae ut est unum de 10. generibus est, quod sit finitae et limitatae perfectionis, alias genus substantiae non esset aliis condistinctum, et sic ratio generis praedicamenti substantiae non praedicatur de Deo, qui est infinitus et illimitatus. Ad tertium dicendum, quod sicut patet 10. Metaphysicae principia propter sui simplicitatem non dicuntur differre aliqua differentia, sed sunt seipsis diversa, ergo Deus cum sit simplicissimus non differt ab eo, quod non est Deus per aliquam differentiam additam, sed immediate per suam essentiam differt ab omnibus aliis. Loquendo igitur de differentia substantiali, quae est divisiva generis et addita generi, constituit speciem, tunc minor est falsa cum sua probatione. Ad quartum dicendum quod Deus non proprie dicitur diversus genere a creatura, sed debet dici diversus plusquam genere; si enim corruptibile et incorruptibile differunt plusquam genere, multo magis Deus et creatura; sed quia nomina sunt ad placitum, tu poteris extendere hoc, quod dico diversum genere non solum ad ea, quae sunt in diversis generibus, sed etiam ad ea, quae sunt extra genus, vel supra omne genus, respectu eorum quae sunt in genere et sic concede propositionem; quia non est contra me.

Ad quintum dicendum, quod non quaelibet compositio secundum rationem sufficit ad hoc, quod aliquid sit in genere; omne enim quod est in genere, vel est compositum realiter ex his, vel est componibilem huic. Ad sextum dicendum quod non sufficit quaelibet determinatio conceptus, sed oportet conceptum sic esse determinatum, quod ipsa res concepta sit finita et limitata. Etiam non sufficit quodlibet commune; sed debet esse commune univocum, de ipso, quod dicitur esse in genere et de aliis eiusdem generis univoce praedicatum, haec autem omnia deficiunt in proposito. Ad septimum dicendum quod Commentator sumit ibi naturam analogice, et non univoce. Ad octavum dicendum quod dicuntur duo praedicamenta manere in divinis propter aliquam similitudinem istorum praedicamentorum, quam in divinis videmus, substantia etiam in divinis est per se, et relatio est ad aliud, in ceteris tamen necessario requisitis ad rationem generis, non reperiuntur haec genera in divinis. Ad nonum dicendum quod dictum Damasceni debet sic exponi. Generalissimum genus est, id est maxime commune. Unde Damascenus non loquitur ibi de genere praedicamentali, sed accipitur ibi large genus quod quocunque communi, quod patet per verba sua. Ait enim sic: Substantia, quae continent supersubstantialiter in creatura deitatem, cognoscibiliter autem et contentive omnem creaturam generalissimum genus est. Ad decimum dicendum, quod minor non est vera. Ad probationem dico quod hoc non arguit conceptum univocum, sed analogicum; de natura enim ipsius analogiae est quod unum analogorum plus distet quam alterum a primo, sub quo analogantur; quibuscunque enim duobus talibus datis, vel unum dependet ab alio, vel ambo dependent a tertio donec deveniatur ad primum omnium, a quo dependent omnia cetera ad ipsum ordinata,

ex quo apparet quod in conceptibus analogis possumus multos et varios gradus assignare. Ad undecimum dicendum quod, si est scientia communis, tunc non oportet quod de quibus est una scientia esse unam rationem univocam, sed analogicam, et talia non sunt unius generis praedicamentalis sed unius generis scibilis, unde genus scibile potest esse latius et strictius, quam sit genus praedicamentale. In tota enim philosophia naturali determinatur de una portione praedicamenti substantiae, in 5. Metaphysicae determinatur de omnibus [139] 10. praedicamentis; aequivocatur igitur in argumento genus, prout sumitur pro genere scibili et pro genere praedicamentali.

QUANTUM ad secundum principale, utrum in Deo sit compositio accidentalis? Dico quod in Deo non potest esse aliqua compositio accidentalis, quia in illo, in quo nullum est accidens, non poterit esse aliqua compositio accidentalis, Deus est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, proba minorem, quia omne accidens, aut est proprium, aut commune; sed tam ea, quae se habent ut propria, quam ea, quae se habent ut communia in Deo sunt penitus idem, quod sua divina natura, quia omne tale per participationem reduci debet ad aliquod tale per essentiam, sed huiusmodi accidentia sive sint propria, sive communia substantiis creatis, conveniunt per participationem, ergo in prima substantia erunt essentialiter idem cum substantia. Et haec est intentio Boethii in libro De Trinitate ubi ait Deus cum sit forma simplex, subiectum esse non potest. Et idem Boethius ait, quod in Deo nullus est numerus. 2. Praeterea, si in Deo esset compositio accidentalis, vel illa esset ex esse et essentia, vel propter cetera accidentia esse, et essentiam Dei consequentia. Non primo modo, quia tunc Deus non esset purum necesse esse, quod est contra philosophos et theologos, et tunc oporteret ipsum habere alia causam supra se, a qua eius esse, et essentia dependeret, et sic non posset dici primus motor, cuius contrarium demonstratur, 8. Physicorum. Hinc est quod ait Hylarius in libro De Trinitate. Esse non est accidens Deo, sed subsistens unitas. Nec secundo modo, quia cum omne tale adesse, et abesse possit praeter subiecti corruptionem, si in Deo talia essent accidentia, ipse necessario mutaretur, cuius contrarium habetur 12. Metaphysicae et 8. Physicorum, ubi dicitur, quod Deus est immobilis per se et per accidens, et ab intra. Et Iacob 1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Propter quod ait Commentator 12. Metaphysicae iustitia, sapientia et cetera huiusmodi non significant in Deo intentiones additas supra suam substantiam. Et beatus Augustinus 7. De Trinitate ait: Si quid de illa simplicitate dixeris eius substantia significatur. SED CONTRA, has duas partes illius minoris potest instari. Contra primam sic: Quaecunque sunt unum realiter penitus, et omnino, quicumque cognoscit unum, cognoscit et reliquum; sed Deum esse cognoscimus, et eius essentiam non cognoscimus, ergo esse eius realiter differt ab essentia. Maior patet: quia quod totaliter est simplex et indistinctum, vel totaliter cognoscitur, vel penitus ignoratur. Minor est Damasceni 1. libro ubi sic ait: Quoniam quidem Deus est, manifestum est nobis quid vero est secundum substantiam et naturam, incompraehensibile est omnino et penitus ignotum. 2. Praeterea, unumquodque diffinitur per id, quod est idem, quod sua essentia, sed secundum philosophum per ens et esse nihil diffinitur, quia cum sit omnibus commune, diffinitum per hoc a nullo penitus distingueretur. 3. CONTRA secundam partem potest argui sic. Eadem est distantia substantiae ad accidens, quae est accidentis ad substantiam, sed a substantia non potest fieri transitus in entitatem accidentis; quia quod vere est nulli accidit, ut dicitur 1. Physicorum, ergo etiam econverso, quod est accidens in uno in nullo poterit esse substantia, ut ait Commentator 8. Metaphysicorum contra Alexandrum, qui posuit calorem esse formam substantialem ipsius ignis. Cum ergo omnia talia, quae sunt posteriora essentia et esse rei sint in creaturis accidentia, ipsa in Deo non poterunt esse substantia. 4. Praeterea, secundum Dionysium De divinis nominibus, omnia participant divinam bonitatem, sed nulla creatura videtur participare divinam substantiam, cum ipsa tantummodo reperiatur in tribus divinis personis, ergo eius bonitas differt ab eius substantia. 5. Praeterea, sicut quantitas est causa aequalitatis et qualitas similitudinis, sic substantia est causa identitatis. Si ergo sapientia esset

idem quod Dei substantia, secundum attributum sapientiae creatura non deberet dici similis Deo, sed eadem Deo, quod est impossibile, 6. Praeterea, ubicunque est aequalitas et similitudo, ibi est quantitas et qualitas, quia, ut dicitur in praedicamentis, proprium est quantitatis secundum eam aequale, vel inaequale dici, et proprium est qualitatis secundum eam, simile, vel dissimile dici. Sed in Symbolo Athanasii dicitur: Equalis Pater, aequalis Filius, aequalis Spiritus Sanctus; et Augustinus dicit, quod Filius est similimus Patri, ergo etc. 7. Praeterea, id, sine quo res potest intelligi, non est substantia sua, et per consequens accidens Deus potest intelligi sine bonitate, ut patet per Boethium in libro De ebdomadibus, ergo etc. SED ILLA non concludunt. Nam omne accidens praesupponit causam efficientem aliam a suo subiecto. Nam efficiens et materia non coincidunt, ut patet 2. Physicorum, sed subiectum inquantum recipit suum accidens, est in genere causae materialis, ergo esset aliquod agens prius Deo, a quo illud, quod formaliter est in Deo, causaliter dependeret, ergo etc. AD PRIMUM ergo dicendum, quod secundum philosophum 5. Metaphysicae, ens et esse multipliciter dicuntur, quandoque enim significant essentiam rei, sive actum essendi, quandoque vero significant veritatem propositionum. Primo modo non intelligimus hic in via esse Dei, sed secundo modo; ex ipsis enim effectibus cognoscimus hanc propositionem esse veram, Deus est. Ad secundum dicendum, quod quamvis nulla creatura proprie diffiniatur per esse simpliciter, quia hoc est commune omni creaturae, quod esse suum est esse participatum; Deus tamen propriissime et nominatur, et diffinitur per esse; quia hoc sibi soli convenit, quod esse suum est esse simpliciter, et causa omnis alterius esse, idem existens penitus, quod sua essentia; et ideo Deus seipsum nominaliter expressit per esse cum dixit ad Moysem: ‘Ego sum, qui sum’. Et iterum: ‘Qui est misit me ad vos’. Ad tertium dicendum quod illud quod est accidens in uno non potest esse substantia in alio, sicut ait Averrois contra Alexandrum, qui posuit quod calor esset forma substantialis ipsius ignis. Illa est vera, si univoce sumatur, sicut calor in igne, et in aliis univoce reperitur; sed si aequivoce sumitur, vel saltem non univoce, nihil prohibet aliquid esse accidens in uno et substantiam in alio. Lupus enim est quaedam infirmitas in pede, et per consequens accidens, et est substantia in genere animalis. Cum igitur nihil dicatur univoce de Deo et creaturis, ideo quamvis sapientia in creaturis sit accidens, in Deo tamen potest esse substantia. Ad quartum dicendum quod, sicut bonitas creaturae est quaedam participatio divinae bonitatis, sic substantia creaturae est quaedam participatio substantiae divinae, et sicut divina substantia est essentialiter in tribus personis, licet participanter sit in creaturis, quasi in suo exemplato, sic et divina bonitas est in tribus personis essentialiter, in aliis autem participative. Ad quintum dicendum quod, si eadem sapientia esset in Deo et creaturis, tunc creatura posset dici eadem Deo, quia ipsa esset divina substantia. Sed quia sapientia Dei et creaturae non solum non est eadem, sed nec est eiusdem rationis, ideo nihil concluditur. Ad sextum dicendum, quod quamvis in divinis non sit quantitas, nec qualitas; est tamen aliquid ibi secundum nostrum modum intelligendi admodum quantitatis et qualitatis, ratione cuius potest ibi admitti praedicatio aequalitatis et similitudinis. Dicuntur enim similes propter eandem bonitatem et sapientiam, et aequales propter eandem virtutem et omnipotentiam. Ad septimum dicendum quod illud est accidens, sine quo res perfecte potest intelligi, sed Boethius loquitur de imperfecta Dei cognitione; viator enim cognoscens Deum ex creaturis tanquam per suos effectus, potest Deum cognoscere esse inquantum ipse est causa essendi omnibus creaturis, praeter hoc, quod actualiter appraehendat bonitatem Dei a qua causatur omnis bonitas creaturae.

QUANTUM [140] AD TERTIUM principale utrum in Deo sit compositio modalis? Dico quod modos diversos esse in divinis, potest dupliciter intelligi, vel quantum ad modos relativos, vel quantum ad modos absolutos. Primo modo possunt esse diversi modi reales in divinis relative differentes, quia ubi sunt diversae res, ibi possunt esse diversi modi correspondentes illis rebus, sed in divinis concedimus esse relationes reales realiter differentes, igitur, et modos praedictos concedere possumus fore in divinis. Differentia autem talium modorum non arguit aliquam

compositionem in Deo, sicut nec differentia relationum. Sed loquendo de modis absolutis, vel per differentiam talium modorum intelligitur sola differentia rationis, quae innascitur ex alia et alia comparatione unius rei absolutae, quae est divina essentia, et ad aliam et aliam creaturam, sic potest dici compositio modorum esse in divinis, quia sicut differentia modorum illo modo sumptorum non est nisi differentia rationis, sic compositio modorum est tantummodo compositio rationis, quae obiective potest esse in divinis, licet subiective sit in ipso intellectu. Vel per differentiam talium modorum absolutorum intelligis differentiam realem intrinsece divinae naturae inexistentem praeter omnem actum intellectus, et sic nego compositionem modalem in divinis. Illud enim derogaret divinae simplicitati, quae summa est, sicut patet per auctoritates sanctorum, quas magister in littera adducit in illa distinctione 8, nec hic volo adducere aliquas de novo rationes, quia illam conclusionem evidenter confirmant omnes illae rationes, quas superius adduxi de attributis. SED EST QUIDAM doctor quamplurimum subtilis, qui aliquo modo videtur tenere oppositum istius. Ponit enim ille doctor modos absolutos in divinis, quorum aliquos appellat modos attributales, aliquos vero fundamentals, qui sunt fundamentum personalium proprietatum. De illis modis propriis personarum nihil intendo dicere ad praesens, quia huiusmodi materia spectat ad distinctionem 26. ubi tractatur de divinarum personarum distinctione. De modis igitur communibus dicit ille doctor, quod modi attributales sunt modi absoluti reales aliquo modo realiter differentes ante omnem actum intellectus. Ratio autem sua fundamentalis est haec: Modi significandi sequuntur modos intelligendi, et modi intelligendi sequuntur modos essendi; huic igitur diversitati modorum intelligendi, qua intelliguntur diversa attributa divina, diversi modi per diversa nomina significata, aut respondet aliquid in re, aut nihil; si nihil, tunc talia sunt figmenta ipsius intellectus, si aliquid, cum non possint hoc esse diversae res absolutae, quia tales non sunt in divinis, ergo erunt diversi modi absoluti reales. Et addit ille doctor dicens: Attributa itaque divina distinguuntur et secundum modos intelligendi, et secundum modos essendi, et eorum distinctio recte etiam potest dici realis propter diversos modos realitatis et intellectualitatis. Istos tamen diversos modos essentia divina continet unitissime, sicut diversitas linearum, quasi in suo principio vel termino in centro indivisibili continetur, et sicut omnis varietas numerorum unitissime et indivisibiliter tanquam in sua origine continetur in unitate. Et paucis interpositis subdit, quod si nullus intellectus intelligeret attributorum distinctionem, nihilominus esset haec distinctio modorum essendi in ipsa re, quae Deus est; non enim quia intelligitur ideo est ibi, sed quia est ibi, ideo vere intelligitur. Et addit quod distinctio attributorum nec dependet ex comparatione eorum ad creaturas, nec ex comparatione eorum ad intra inter se, quia non ex eo, quod comparantur distincta sunt, sed prius sunt, et intelliguntur distincta et consequenter comparabilia, vel ad extra, vel ad intra. SED ILLA NON teneo quia, ut mihi videtur, impossibile est aliqua absoluta, quae formaliter sunt in aliquot quocunque, differre realiter sine compositione reali derogante summae simplicitati. Sed ille expresse dicit, quod distinctio illorum attributorum, quae appellat modos absolutos communes tribus personis, est aliquo modo realis, et praeter omnem actum intellectus, ergo aliquo modo in divinis erit realis compositio, quantum enim ponitur absolutorum distinctio, tantum ponetur in eo, in quo distincta sunt compositio. Etiam ille doctor in eadem quaestione paucis interpositis post praedicta videtur sibi evidenter contradicere, dicit enim sic: Sunt igitur hi modi absoluti, quia significant perfectionem aliquam, sunt autem respectivi: quia propter unitatem rei, in qua fundantur, non accipitur eorum distinctio, nisi ex comparatione rei ad seipsam, ita quod comparatio rei ad seipsam causat distinctionem, et hanc distinctionem in aliquibus consequitur aliquis respectus. Illa verba praecedentibus, ut mihi videtur, manifeste contradicunt. Dicta igitur praecedentia inquantum sine probatione assumuntur omnia nego et respondebo ad illam unam rationem, et duas similitudines, quas adduxit. AD RATIONEM igitur dico, quod distincti modi intelligendi praesupponunt distinctos modos essendi in ipsa re intellecta, si talis res vero intellectu intelligitur esse distincta in se absque omni comparatione ad ea, quae realiter distinguuntur. Si

autem vero intellectu distinctio talis rei non apprehenditur, nisi in comparatione ad aliqua realiter distincta; tunc non oportet propter diversitatem modorum intelligendi in illa re esse diversitatem modorum essendi sed sufficit, quod talis diversitas modorum essendi sit in rebus illis, ad quarum comparationem distinctio apprehenditur in illa re simplicissima. SIMILITUDINES etiam, quas iste doctor adducit non sunt ad propositum, quia lineae non sunt formaliter in centro secundum totam suam entitatem, nec numeri sunt formaliter in unitate. Si enim lineae secundum totam suam entitatem essent in puncto centri, impossibile est eas ab invicem distinguere. Et dato per impossibile, quod distinguerentur, necesse esset ipsum centrum distinguere et esse compositum. Et eodem modo dico de unitate respectu numerorum. Sed isti modi absoluti, sive divina attributa sunt in divina essentia formaliter secundum totam suam entitatem, ideo non possunt distinguere intrinsece absque omni comparatione intellectus, nisi divina essentia ponatur realiter esse composita. AD ARGUMENTUM principale dicendum, quod formae dicuntur actu esse in primo motore, non tamen sunt in eo distinctae, quia creatura in creatore non est aliud, quam ipsa creatrix essentia divina.